

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Matthaeus Hiller, Graecae Et Oriental. Linguarum
Ordinarius, Theologiae Extraordinarius Professor
Lectoribus Salutem dicit**

Hiller, Matthaeus

Tubingae, 1700

[urn:nbn:de:bsz:31-2124](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-2124)

MATTHÆUS HILLER,

GRÆCÆ ET ORIENTAL. LINGUARUM ORDI-
NARIUS, THEOLOGIÆ EXTRAORDINARIUS

PROFESSOR,

[Einladung zu einer Rede des J. J. Eisenlohr]
Lectoribus Salutem dicit.



UT multa sint, quæ tædio rerum humanarum jacentem animum erigere, ærumnisque & calamitatibus vitæ fracti fastidia detergere queant, vix tamen, nostro judicio, ulla magis re animus ad se redierit, quam assidua sui contemplatione. Se enim suasque dotes, irretorto quasi oculo intueri, id unus suavissimus animorum pastus est, idque vel maxime ipsorum aciem intendit. Ut enim, qui speculum ferit, lucis radius, quamvis mole non augeatur, virtutis tamen suæ majus incrementum capit: ita animus objectâ imagine sua reviviscit, & facultatem adipiscitur, multiplicatis viribus ad summam gloriam cursum vitæ dirigendi. Excitatur verò quoties magnopere vestigat immortalem illam siderumque æmulam naturam: Quoties in se vim experitur, quæ cœlestium contatur ordinem, eorumque causas penitus occultatas felicissima indagine prodit. Res infinitas explicat, confusas digerit, memoria denique conservat, qua juvante & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia. Jam dotes suas recensenti occurrit judicii æquabilitas, constantia, firmitas, motus admiranda celeritas, inexplicabilis simplicitas, cui nihil est admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil duplex, quæ sui tota consimilis, nec discerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec denique interire. Navim dixerimus animati luminis, sed quæ nunquam naufraga suas etiam procellas illuminat, & inter medios mortis fluctus, tam expers periculi manet, quàm secura perennitatis. DEI non fabrica duntaxat, quod Platoni etiam placuit, sed filia, sed sponsa, cui suo sanguine redemptæ regnum asseruit DEI filius. Ex quo & pro purpura data est virtus, pro sceptro immortali felicitas, pro regi diademate Justitiæ cydaris, ut sic ad divini exemplaris imaginem picta, non fucis sed veritate fulgeret, nec cera expressa, sed gratia, superiorum esset figura, inferiorum exemplar. In hac cogitatione assidue defigi animorum naturale quoddam pabulum est, quo & optimus quisque alitur, & suo, ut ita dicam, succo vivit. Quod cum penitus perspiceret cognosceretque optimarum artium studio, morumque politiorum ornamentis commendatissimus Juvenis **DN. JOANNES JACOBUS EISENLOHR**, nobilissimum hoc de **ANIMÆ PRÆSTANTIA** argumentum selegit, quod Græca Oratione in publica eruditorum hominum panegyri explicaret, eademque opera & Præceptoribus suis ingenium ostenderet, & Venerando Domino Parenti, **JOANNI JACOBO EISENLOHRIO**, Ecclesiæ Reuttlingensis Antistiti meritissimo, viro cum in politiori literaturâ, tum in orthodoxa Theologia versatissimo, futuræ messis spem in semente moveret. Faciet hoc crastino hora prima, in Auditorio Philosophorum æstivo, nec imperitum se in hac dicendi palæstra probabit, non Patri amantissimo filius, non Academiæ civis pœnitendus. A vobis literarum Arbitris, & quicumque hæc legentes, vel græcas in aliquo numero ponitis Musas, vel solidioris sapientiæ Studia favore vestro complectimini, quantum fas est, universis contendimus, ut per semihorulæ spatium dicentem benevolè auscultetis. Dabitur à nobis opera, ut beneficium hoc cum fœnore ad vos redeat. P. P. Dominicâ Sexagesimæ. Anno redemptæ animarum salutis, M DCC.

TUBINGÆ, Ære **GEORG-HENRICI REISI**, Ling. Orient. Typographus.

(1704)